Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1785

Quelle:
Copyright:

martyrum ueneratur et colitur X° kalendarum iuliarum qui omnes uno die pro christi nomine interempti sunt sub adriano imperatore et aliis sex regibus qui illi uenerant in adiutorium &c. Passi dicuntur crucis supplicium in Monte *Ararat a ciuitate alexandria que est in maritimis quasi stadiis quingentis*, praecipuis *Hermolao* Archiep. *Achatio* Duce militiae, *Marco* et *Alexandro*. Susceperat patrocinium Narratiunculae hujus Card. *Baronius* in Notis ad *Martyrologium Rom.* ad 22. *Jun.* sed *Bollandiani* T. IV. *Jun.* ad eand. diem fabulis eam scatere demonstrant. Scopus Fabricatoris fuit, persuadere Plebeculae, Festum horum Martyrum Jejunio celebratum aequivalere *uni anno penitenciali.*

V. *fol.* 40. p. 2. eadem manu, et eodem modo allicimur ad celebrandam *IX. kal. Octobr.* secundam Assumtionem B. V. M. ex autoritate *Virginis uenerabilis elisabeth monialis* (Sconaugiensis) *coetanee domine hiltegardis de pinguia* (Bingen), quae a Viris religiosis, *quod beatus ieronimus de ipsius uirginis transitu ambigue reliquerit scriptum ignorans, an fuerit cum corpore uel sine corpore assumpta in celum*, consulta, inter alia a Deipara audisse dicitur: *Post quadraginta dies assumptionis mee in celum denuo reducta sum ad corpus meum quod fuerat sepultum et resurgens a mortuis — ad superos ascendi. Nam sicut dominus meus post resurrectionem suam quadraginta diebus remansit in terra, et corpus meum exanime XL. diebus mansit in terris.* Male provocatur ad *Hieronymum; Sermo* enim ille, si Superis placet, *ad Paulam et Eustochium* Seculo VIII. non est antiquior, et extat edit. *Vallarsi. Opp.* T. XI. inter Spuria *col.* 92.

VI. *fol.* 42. p. 2. redit major et elegantior manus et incipiunt Prosopopoejae XII. Mensium, quarum en specimen: *Januarius dicit. cum numa diuisionem anni quam romulus in X. distinxit menses certa racione corrigeret. et iuxta calculum lunaris cursus. anni metas extenderet. sumptis L^ta. diebus quos priori numero super addidit VI. quoque quos bis mensibus. qui trigenos singulos habebant dies. subtraxit in duos distribuit menses quorum me primum anni ponens principium. quasi anni ianuam uocauit ianuarium. Dicunt etiam me a prudente quodam iano. bifrontem quasi finem preteriti et inicium sequentis anni prospicientem. Tempus meum dicitur anni uenter eo quod ego et qui altrinsecus mihi adherent menses ceterorum mensium consumimus labores cum nostri opificibus sunt intempesti dies. et hoc olim inuebant festa terminalium et saturnaliorum. et libertas sequestra seruorum. De uino optimo calicem iejunus bibe. Sanguinem non minuas. Solutionem non accipias. Electuariis utere. Pocio sit Gigniber. et Reoponticum.*